Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8209
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Et mitigat inimicos Et lingua eucharis in
bono homine habundabit Multi pacifici sint
tibi et consiliarius unus sit tibi de mille Qui me:
tuunt invenient illud Fili a iuventute tua exci-
pe doctrinam et usque ad canos invenies sapien-
ciam Quibus autem agnita est permanet usque ad conspe-
ctum dei In novissimis enim invenies requiem in ea
et convertetur tibi in oblectationem et erunt tibi compedes
eius in protectionem fortitudinis et bases virtutis et
torques illius in stolam glorie Decor enim vite est in
illo et vincula illius alligatura salutaris Sto-
lam glorie indues eam Et coronam gratulationis superpo-
nes tibi Fili si attenderis mihi disces eam
et si accommodaveris animum tuum sapiens eris Si
inclinaveris aurem tuam accipies doctrinam Et
si dilexeris audire sapiens eris In multitudine presbiterorum
prudentium sta et sapientie illorum ex corde coniungere
ut omnem narrationem dei possis audire Et proverbia
laudis non effugiant a te Et si videris sensa:
tum evigila ad eum Et tamen aspice nimium sa-
pita doctis hominibus Et gradus hostiorum illius ex-
terat pes tuus Cogitatum habe in preceptis dei
Et in mandatis illius maxime assiduus esto Et
ipse dabit tibi cor Et concupiscentia sapientie dabitur tibi
Capitulum 7 Noli facere mala et non te apprehen-
dent Discede ab iniquo et deficient mala
abs te Fili non semines mala in sulcis
iniustitie et non metes ea in septuplum

208